

Red

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii direttore

a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

ACCLAMATIO
 VIRO
 AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 DOMINO
 IOANNI JOACHIMO
 SCHMIDIO

QVVM

RECTOR PAEDAGOGII ILFELDENSIS
 CREARETVR

FACTA

AB

VNIVERSO DICTI PAEDAGOGII COETV

D. ~~XIX~~ OCTOBR. MDCCXLVIII.

NORDHVSÆ LITTERIS COELERIANIS,



Rectorem tristes merita tumulavimus illo
Tempore, quo nobis nostra est schola tota ruinam
Sæpe minata. Deo grates quod sæpe minata est.
Non nocuere minae; vt non omnia fulmina tangunt.
Provida namque Dei virtus, quæ cuncta gubernat,
Musarum sedem turbatam noluit esse,
Quæ per tam multos Ilfeldæ floruit annos.
Hæc regem nostrum clementem flectere scivit,
Vt ludum nostrum constanti protegat umbra,
Omnes sinceri nobiscum tollite palmas
Ad coelos lati, Princeps, quem iure vocamus

Dilectum patriæ patrem, musisque faventem,
Ut videat felix et latus Nestoris annos;
Ac ita cunctorum faciat constare salutem!
Ingenti o Musa! celebretis gaudia plausu,
Namque est Rectori similis collega superstes,
Defuncti munus dignus qui possit obire.
Quis præceptorum fidei, quis iusta tenaci
Præmia deberi negat? utilitas ea clara est,
Quam præstare viri nobis suevere vocati.
Hi nobis sistunt, per quos respublica firma
Fulcris nisa domus firmis æterna manebit.
Quidque magis poterit fidos stimulare magistros,
Quam si conspiciunt fructus aliquando laborum,
Et sibi pro meritis non vilia dona referri.
Non vsquam vero quisquam reperitur eorum,
Cuius sedulior munus sit cura gerendi,
Quam vir spectatae fidei, virtutibus auctus
Insuper eximiis, laudatus SCHMIDIUS ille,
Cuius iam nota est præclara scientia cunctis.
VIR TIBI pro meritis, quo non est dignior alter
Iam iam rectoris dantur CELEBERRIME partes.
Quam TV præceptis doctis quis nescit abundes?
TV præesse scholæ didicisti CLARE tot annis.
TV iam scis alacres iuvenum bene flectere coctus
Solertes stimulare, simul cohibere feroces.

CARE TIBI RECTOR quare gratamur ovantes,
Optamusque Deus numquam non TE esse valentem
Providus ut iubeat, quæcunque incommoda pellat,
Quae VIR CLARE, TVOS possent retinere labores,
Præterea coctum videas mox crescere nostrum,
Qui non invitus formandum se TIBI tradat;
Ut TVA prospiciat præstans solertia multis,
Dum gestit suaves animos formare per artes,
Quo possint patriæ post inservire saluti.
Optime sinceris nostris Deus annue votis.



78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
coll. nicht vergeben!




56.

1077

RHD





ACCLAMATIO
VIRO

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO

IOANNI JOACHIMO
SCHMIDIO

QVVM

PAEDAGOGII ILFELDENSIS
REARETVR

FACTA

AB

ETI PAEDAGOGII COETV
OCTOBR. MDCCXLVIII.

LITTERIS COELERIANIS,



B.I.G.

AK

